



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio VIII. Vtrùm linea & superfficies sint propriæ species completæ
quantitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. VIII. Vtrum linea, & superfi, &c. 517

At ad formalem effectum quantitatis, & non reperitur in corpore carente quantitate. Quarto addi potest ut esse extra dicat actuale situm localem, quantitativum, & hoc spectat ad prædicamentum ubi, aut situs ut postea videbimus.

Vnde falsum etiam sensu, quod partes substantiæ materialis quantitate privata necessario maneat confusa, & inter se omnes immediate copulatæ quoad substantialem unionem, licet enim demus ita fieri posse si Deus velit, tamen quod ex necessitate ita futurum sit nulla verisimili ratione suaderi potest. Itaque existimosi Deus corpus humanum sine quantitate servet, & nullum addat miraculum, vel extraordinariam mutationem fore, ut substantia manus sit immediate coniuncta substantiæ brachij, & non capitis, & sic de cæteris, nam iuxta veram sententiam partes substantiales integrantes hanc substantiam non uniuntur immediate per superficies quantitativas, sed proprio nexu, & vinculo substantiali ut patet ex supradictis; cum ergo ab eis separatur quantitas, retinere possunt eandem unionem substantialem, quam inter se antea habebant nulla unionem nova inter eas facta; ergo quæ antea uniabantur immediate ita postea manebunt, quæ vero solum uniabantur interventu aliarum partium, conservabuntur tali modo unitæ.

Quo fit ut si ordo partium in toto solum entitative, & substantialiter sumatur non pertineat ad effectum formalem quantitatis, sed ad ipsammet substantialem compositionem talis rei, sicut ordo graduum in qualitate à primo v.g. ad octavum non est effectus alterius rei, sed pertinet ad intrinsecam integritatem talis entitatis, cum ergo Auctores dicunt ordinem partium in toto effectum esse formalem quantitatis, intelligendum est de tali ordine, ratione cuius ex natura rei partes illæ necessario sunt impenetrabiles, qui vno verbo dici potest ordo quantitativus.



QVÆSTIO VIII.

Vtrum linea, & superficies sint propria species completae Quantitatis?

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

PRIMA sententia asserit lineam, & superficiem esse completas species quantitatis, eo modo quo corpus, & probatur sic.

1. Primo essentia quantitatis est extensio partium, quæ est radix impenetrabilitatis: sed linea, & superficies habent extensionem propriam, quæ sit radix impenetrabilitatis non minus, ac corpus; ergo sunt species completæ quantitatis non minus, ac illud; probatur minor, linea est extensa, & divisibilis secundum longitudinem, & repugnat ut partes eius commensurentur puncto loci, quod idem est de superficie; ergo participant propriam rationem extensionis, &c.

2. Secundo quæ sub aliquo genere distinguuntur essentialiter sunt species essentialiter distinctæ: R. P. Ildeph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

sed linea, superficies, & corpus sub genere quantitatis continuæ distinguuntur essentialiter; ergo, &c. Probatur minor; prædictæ species conveniunt in ratione quantitatis, & differunt secundum diversas rationes illius; ergo sunt diversæ species quantitatis; probatur antecedens, quantum ad secundam partem, linea est quanta, & extensa secundum longitudinem, superficies secundum latitudinem, corpus secundum profunditatem, latitudo autem, longitudo, & profunditas distinguuntur essentialiter; ergo linea, superficies, & corpus differunt secundum diversas rationes formales quantitatis.

Tertio, si linea, & superficies non essent species completæ quantitatis non daretur prædicamentum quantitatis; sed hoc est falsum; ergo illud ex quo sequitur: probatur sequela, si linea, & superficies non essent species completæ quantitatis, non daretur genus quantitatis, sed ubi non datur genus non datur prædicamentum; ergo non daretur prædicamentum quantitatis; probatur maior, non sunt dables aliæ species propriæ quantitatis præter corpus supposita sententia contraria, sed genus necessario requirit plures species; ergo non daretur genus. Deinde probatur illa minor, quod non daretur prædicamentum, prædicamentum est coordinatio generum, & specierum, sed ubi nullum datur genus, non potest dari talis coordinatio; ergo non potest dari prædicamentum.

SECTIO II.

Aligua notantur.

VT intelligatur quid sint linea, superficies, &c. corpus debemus concipere, ut adnotat Divus Thomas, opusculo 48. tract. 3. cap. 3. Punctum tanquam separatum à linea, lineam à superficie, & tandem superficiem tanquam divisam à corpore, non realiter sed conceptibiliter; illud vero punctum separatim fingamus duci per planum, tunc ex tali ductu remanebit vestigium, nec latum, nec profundum sed præcise longum, & hoc vocatur linea: si autem vestigium illud versus latera extendatur, & moveatur, relinquet aliud non solum longum, sed etiam latum vestigium, quod superficies appellatur; tandem si hoc elevetur, aut deprimatur remanebit tertium aliud vestigium longum, latum, atque profundum, quod corporis nomine insignitur.

Primum vestigium est continuum, & divisibile secundum longitudinem, & quia est relictum ex puncto continuatur punctis. Vestigium secundum est longum, & latum, sed caret profunditate, & ideo est indivisibile secundum illam; divisibile autem secundum alias duas dimensiones, & quia relinquitur ex extensione lineæ continuatur lineis: tertium vestigium est longum, latum, & profundum, cuius partes continuantur superficiebus, quia relinquitur ex elevatione, & depressione superficiæ, quæ omnia his verbis explicat Divus Augustinus libro decem Categoriarum, c. 10. quantum vero sit, inveniri non potest, nisi fuerit adhibita mensura collectum. Si ergo omnia latitudine solam quis longitudinem voluerit emetiri, longitudo sine latitudine mensuræ subiectæ præcipue dicitur; non quod sit longitudo aliqua, quæ careat latitudine, sed quod solam quis me-

lii tiens

tiens longitudinem *per se* metri dicitur. Emen-
sa vero cum longitudine latitudo, dicitur *in quadam*
si autem fuerit, & latitudo mensura sociata,
corpus cuncta perficiunt.

- 7 Secundo adverte omne illud quod est pars ali-
cuius entis per se sub ea ratione qua est pars, aut
pertinens ad complementum illius esse ens in-
completum, sicut materia prima, v.g. & unio sub-
stantialis ideo sunt entia incompleta, quia mate-
ria prima est pars hominis, & unio pertinet ad
complementum illius, quod est ens per se com-
pletum.

SECTIO III.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

- 8 Conclusio: linea, & superficies non sunt com-
pletae species quantitatis, ita Durandus in 2.
distinctione, 2. q. 4. P. Hurtado in metaphys. disp. 13.
sect. 6. §. 52. & multi alij.

- 9 Probatur primo ex Aristotele lib. 1. de celo, tex.

12. & 5. metaphysica cap. 13. tex. 18. ubi definiens

lineam, superficiem, & corpus sic ait: magnitu-

dinum vero ea, quae ad unum continua est lon-

gitudinem, id est, linea, quae ad duo latitudinem, id

est, linea, quae ad duo latitudinem, hoc est, superfi-

cies, ad tria profunditatem, corpus enim longum, la-

tum, & profundum est, quibus verbis aperte doc-

et Aristoteles lineam includi in superficie, &

ideo ait, superficiem habere latitudinem, & lon-

gitudinem, superficiem autem, & lineam in-

cludi in corpore, ac proinde corpus trina gaudere

extensione: ex quibus sic argumentor, una

species completa non potest includi in alia: sed

ex sententia Aristotelis linea, & superficies in-

cluduntur in corpore, quae est species quantita-

tis: ergo linea, & superficies non sunt species

completae quantitatis; maior sic probatur, illud

quod invenitur in uno ente per se completo, &

non ut tota essentia illius est quid incompletum,

ut videre est in anima rationali, quae quia est in

homine, qui est species completa substantiae, &

non est tota essentia hominis est quid incom-

pletum in ratione substantiae: sed una species

completa non potest esse incompletum quid; er-

go non potest includi in alia specie. Deinde li-

nea invenitur in corpore, non ita, ut sit totum

corpus, siquidem corpus ultra lineam, & superfi-

ciem addit profunditatem: ergo superficies, & li-

nea ingrediuntur corpus ut quid incompletum.

10 Vergetur, quia una species completa distin-

guitur ab alia distinctione excludentis ab ex-

cluso, & non distinctione includentis ab inclu-

so, ut videre est in albedine respectu nigredinis,

& in colore caeruleo respectu viridis, & in sa-

pore respectu odoris, quae quia sunt species distin-

ctae qualitatibus distinguuntur distinctione exclu-

dentis ab excluso, quod etiam contingit in re-

lationibus specie distinctis, ut in paternitate, &

filiatione; clarius autem perspicitur hoc in spe-

ciebus completis substantiae, ut sunt homo, &

equus, qui se excludunt ad invicem: sed ea quae

distinguuntur distinctione excludentis ab excluso,

minime se includunt ad invicem; ergo una spe-

cies non includit aliam; unde si una res inclu-

dit aliam non est completa species: sed linea, &

superficies includuntur in corpore; ergo linea,

& superficies non sunt species completae quan-

titatis.

Dices lineam secundum Philosophum non in-
cludi in superficie, nec superficiem, & lineam in
corpore quatenus sunt divisibiles: sed quatenus
sunt indivisibiles.

Sed contra, quia Aristoteles ait lineam, & 1.
superficiem includi in corpore, quatenus conti-
nuae sunt, ut patet ex illis verbis, quae ad unum
continua est longitudo, &c. ad tria continua
profunditas. Vbi ait corpus quoad trinam di-
mensionem esse continuum, hoc est, habere con-
tinuationem, quoad longitudinem, latitudinem,
& profunditatem: sed longitudo, & latitudo
continuae sunt linea, & superficies quatenus di-
visibiles, quia continuum ex Aristotele est di-
visibile in ea quae insunt, quorum utrumque, &c.
ergo linea, & superficies includuntur in corpo-
re, non solum ut indivisibiles, sed etiam ut di-
visibiles.

Respondeo potest non includi formaliter: sed 1.
materialiter, vel praesuppositively.

Contra, quia omne quod includitur in alio 14
ex vi distinctionis essentialis illius non includi-
tur materialiter, sed formaliter in illo, cum in
definitione essentiali solum essentialia praedica-
ta explicantur, & quae sunt de formalissimo con-
ceptu rei, ut videre est in definitione essentiali
hominis, alias non erit adaequate definitio es-
sentialis, cum aliquid quod non sit de essentia
ponatur in illa: sed longitudo, & latitudo con-
veniunt corpori ex vi definitionis essentialis il-
lius; ergo conveniunt illi non materialiter: sed
formaliter.

Item, quia illud quod essentialiter constituit 15
aliquid, & sine quo nullo modo potest intelligi
essentia alicuius non pertinet ad illud materiali-
ter, & praesuppositively, sed formaliter: atqui
superficies ita est de essentia corporis, ut nullo
modo possit, aut esse, aut intelligi sine superfi-
cie; ergo superficies non includitur materialiter,
sed formaliter in corpore, quod expressis verbis
asseruit Angelicus Doctor *opusculo* 48. *metaphysicae*, 3. c. 3.
ubi sic ait. Rationem superficiei compleri essen-
tialiter adaequate per primam, & secundam di-
mensionem, per secundam autem ultimum, & ra-
tionem corporis compleri per secundam, & ter-
tiam, licet ultimo specificiter per tertiam consti-
tuatur, v. g. homo essentialiter ac formaliter
adaequate constituitur per animal, & rationale,
licet ultimo solum per rationale, ex quibus col-
ligitur manifeste Angelicum Doctorem se ad
Aristotelem componemem sensisse non praesup-
positively, sed formaliter superficiem pertinere ad
essentiam corporis; ergo.

SUBSECTIO I.

*Vbi prima ratio pro nostra conclusione po-
nitur.*

Probatur primo, illud quod ordinatur essen-
tialiter ad componendum unum ens per se
completum essentialiter est quid incompletum:
sed linea, & superficies ordinantur essentialiter
tanquam uniones, & compositiones formales ad
componendum corpus quod est ens per se com-
pletum in genere quantitatis; ergo sunt essentiali-
ter quid incompletum; maior est evidens ut
patet ex notabili secundo, & ratio illius est,
quia ex duobus entibus completis non potest
fieri

Quæst. VIII. Vtrum linea, & superfi. & c. 619

fieri vnum ens per se; ideo enim colligimus evidenter materiam primam, & vnionem substantialem esse entia incompleta, quia ordinantur essentialiter ad componendum hominem, qui est ens per se completum, alias non dabitur regula certa, & infallibilis ad cognoscendum quid sit ens incompletum, & quid completum, quod est falsum. Minor prima est certissima, quia in sententia adversariorum, qui asserunt continuum non componi ex indivisibilibus, pro certo habetur, & infallibili superficie (quæ nunquam est extra corpus; sed intra illud) ad nihil aliud deservire in corpore, nisi vel ut vniat partes corporis vel ut terminet illas, & lineam solum deservire in superficie, ut componat superficiem, vniendo partes illius formaliter tanquam vnionem formalem illarum, & compositionem formalem totius superficiei, itaque superficies, & linea secundum adversarios à natura productæ sunt ad vniendum, & terminandum partes corporis, in sententia autem nostra qua asserimus continuum componi ex indivisibilibus ordinantur linea, & superficies ad componendum ut partes corpus, compositio enim corporis sit ex punctis lineis, & superficiebus tanquam ex partibus ex quibus coalescit totum; sed corpus essentialiter est compositum, quia essentialiter est continuum, & extensum; ergo habet partes, & vniones ex quibus essentialiter componitur, nam compositum ea ratione qua compositum est, petit partes, ideo enim homo petit essentialiter partes se componentes, & quæ essentialiter ordinantur ad componendum hominem, quia homo essentialiter est compositus: sed corpus de prædicamento quantitatis essentialiter est compositum, & continuum ex punctis lineis, & superficiebus; ergo puncta, linea, & superficies sunt partes, & vniones essentialiter corporis essentialiter ordinatæ ad componendum illud.

17 Vergetur, quia id quod inadæquate constituit aliquam speciem completam non potest esse species completa in illo genere, sed linea, & superficies constitunt inadæquate divisi sumptæ corpus quod est species completa quantitatis: ergo linea, & superficies non sunt species completæ quantitatis; maior est evidens, ut videre est in anima rationali, quæ quia inadæquate constituit hominem non est species completa substantiæ, & idem est de vnione animæ rationalis ad corpus; & ratio videtur à priori, quia ea quæ à natura instituta sunt ad constituendum intrinsece aliquod completum inadæquate, ex eo quod illud constituent per proprium esse, & entitates factæ sunt incompleta in illo genere quo constituunt, quia nullo alio modo constituunt nisi quo sunt, sed constituunt inadæquate: ergo sunt inadæquate in esse. Minor sic probatur, quia illud constituit inadæquate, quod ingreditur essentialiter constitutionem alicuius, & non est tota essentia adæquate constituti, sed superficies ingreditur compositionem corporis per vos tanquam vnio, ac proinde non est tota adæquate essentia corporis, (imo si ingreditur ut pars in vestra sententia præter superficiem addit corpus partes profundas,) & idem est de linea: ergo linea, & superficies inadæquate constituunt corpus.

18 Dices lineam, & superficiem non esse vniones partium corporis quatenus divisibiles, sed quatenus indivisibiles, ac proinde sub ratione divisibilium non ordinati ad componendum corpus; om-

nis enim vnio debet esse indivisibilis, & non divisibilis, ita P. Suarez.

Sed contra primo, quia vnio quæ datur inter materiam, & formam lapidis non est indivisibilis, quia recipitur in subiecto divisibili, videlicet aut in tota materia prima lapidis terminando formam, aut in tota forma lapidis terminando materiam; aut denique simul in materia, & forma lapidis, at materia, & forma lapidis sunt divisibiles; ergo vnio, quæ in illis totis adæquate recipitur erit divisibilis, ideo enim albedo est divisibilis, quia sit dependenter à subiecto divisibili, & in ipso recipitur: sed vnio inter materiam, & formam lapidis sit dependenter à subiectis divisibilibus, quatenus divisibilia sunt, & recipitur in ipsis: ergo est divisibilis, quod late etiam demonstro de vnione animæ rationalis ad corpus, disp. 1. metaphysica, quæst. Vtrum metaphysica sit simplex qualitas, & in libris de anima; ergo falsum est dicere quod omnis vnio quatenus vnio debeat esse indivisibilis tantum.

Secundo contra, quia per eundem formaliter conceptum linea est divisibilis secundum longitudinem, & indivisibilis secundum latitudinem, & profunditatem: sed linea quatenus est indivisibilis est vnio ac proinde incompleta per vos; ergo etiam quatenus est divisibilis; probatur maior in tantum linea est indivisibilis secundum latitudinem in quantum dicit negationem partium secundum latitudinem, sed in quantum est divisibilis secundum longitudinem dicit negationem partium secundum longitudinem: ergo in quantum est divisibilis secundum longitudinem est indivisibilis secundum latitudinem; maior est certa, quia idem est indivisibile, ac dicens negationem partium separabilium; probatur minor, linea in quantum est divisibilis secundum longitudinem est distincta à superficie, & corpore; ergo in quantum est divisibilis secundum longitudinem dicit negationem partium secundum latitudinem; probatur antecedens omnis res distinguitur ultimo à qualibet alia per differentiam ultimo constitutivam sui in esse talis, sed differentia ultimo constitutiva lineæ in esse lineæ est longitudo: ergo per longitudinem distinguitur linea ultimo à qualibet re; ac proinde à superficie, & corpore. Maior est luce meridiana clarior, quia differentia ut differentia facit differre, & si est vltima differentia facit vltimo differre, ideo enim rationale facit differre vltimo hominem, quia est vltima eius differentia; minor conceditur ab adversariis, nam illorum sententia quantitas continua ut sic extrahitur immediate ad lineam per longitudinem, & ad superficiem per latitudinem, ad corpus per profunditatem; ergo longitudo est vltima differentia lineæ: ergo linea differt, ac distinguitur à superficie, & corpore vltimo per longitudinem; ergo longitudo dicit negationem partium secundum latitudinem, & profunditatem separabilium inter se; ergo longitudo ut longitudo est indivisibilis secundum latitudinem, sicut brutum per brutalitatem ut brutalitatem dicit negationem rationalitatis, & est irrationale.

Confirmatur in ipsa superficie, quia illa indivisibilis secundum profunditatem convenit superficie ex vi rationis essentialis superficiei, quatenus continua est: sed superficies quatenus superficies est divisibilis: ergo ex vi divisibilitatis secundum latitudinem &c. convenit ei indivisibilitas secundum profunditatem; sed per vos conve-

nie superficies ratio vnionis, & incompletae entitatis, quia est indivisibilis; ergo propter eandem rationem etiam convenit illi ratio vnionis, & ratio incompleta; maior prima sic probatur, quia per eandem entitatem, & idem esse essentialiter constituitur superficies in esse superficiali per quod constituitur in esse non corporis, vel in non esse corpus; sed in superficie esse non corpus est esse indivisibile secundum profunditatem; ergo superficies per idem esse essentialiter constituitur in esse superficiali divisibilis, & in esse indivisibilis essentialiter secundum profunditatem; maior evidens est, quia per idem esse constituitur Deus in esse Dei per quod constituitur in esse increati, seu non creati, aut in non esse creaturae, & e contra creatura per idem constituitur in esse creaturae per quod constituitur in non esse Dei, & ratio a priori est, quia unaquaeque entitas per idem est ens, & unum idem ex vi propriae essentiae habet unitatem, & est unum quid: sed unum est indivisibile in se, & divisibile a quolibet alio; atqui quod est divisibile ab alio non est aliud, quia idem non potest esse divisibile a se ipso: ergo per idem ipsum esse constituitur unaquaeque res in suo esse, & in non esse alius, seu alterius; itaque homo, v. g. ex vi propriae essentiae est homo, & est unus homo, ac proinde divisibile a quolibet alio, & per consequens non aliud, hoc est non brutum, non lapis, &c. minor illa sic probatur, quia corpus quatenus corpus est divisibile secundum profunditatem: ergo illud quod non fuerit corpus non erit divisibile secundum profunditatem, ac proinde erit indivisibile secundum profunditatem; ergo superficiali convenit indivisibilitas secundum profunditatem, quia non est corpus seu quantitas non profunda; & ratio est manifesta, quia intra rationem quantitatis, cui repugnant partes in aliquo genere convenit in illo genere indivisibilitas partium, & ideo puncto convenit omnis indivisibilitas, quia illi repugnant omnes partes: sed illi cui repugnant omnes partes repugnant partes profundae, & illud cui repugnat esse corpus est non corpus: ergo illud quod non est corpus intra quantitatem ex vi quod non sit illud, est indivisibile secundum profunditatem, sicut quod intra rationem animalis non est rationale formaliter est irrationale: sed superficies est non corpus: ergo formaliter est indivisibilis secundum profunditatem quatenus non corpus.

22. Declaro amplius hoc, quia divisibilitas superficiali includit essentialiter indivisibilitatem secundum profunditatem; ergo essentialiter illa divisibilitas est incompleta, & vnio, ac proinde non poterit esse species completa; antecedens sic probatur, quia negatio illa per quam aliquid non est aliud, seu distinguitur essentialiter ab illo includitur essentialiter in sic distincto; vt verbi gratia increatum, & independens, quae sunt negationes creationis; & dependentia includuntur essentialiter in Deo, quia distinguitur Deus per illas essentialiter ab ente creato, & dependente: item negatio rationalitatis in equo includitur essentialiter in ipso, quia per illam distinguitur equus essentialiter ab homine: sed indivisibilitas secundum profunditatem, quae est negatio profunditatis, vel partium profundarum cum vnione est negatio per quam distinguitur essentialiter superficies a corpore; ergo includitur essentialiter in divisibilitate superficiali; consequentia praecipua sic probatur, quia homo v. g. est comple-

tus secundum conceptum positivum hominis, est etiam completus secundum negationem brutalitatis inclusam in essentia hominis; unde si homo secundum quod dicit negationem brutalitatis, non esset ens completum, etiam non esset ens completum in quantum homo, quia cum illa negatio brutalitatis transcendat ipsam essentiam hominis, & distinguat illam a bruto, constituit essentialiter hominem in esse hominis, vt vos asseritis: ergo etiam debet constitui in esse completi: sed divisibilitas superficiali constituitur in esse talis per indivisibilitatem profunditatis, quae est negatio essendi corpus, cuius entitas est divisibilis secundum profunditatem; ergo si secundum illam indivisibilitatem seu negationem profunditatis est incompleta superficies, erit incompleta etiam secundum quod est divisibilis quoad profunditatem. Ratio autem a priori horum est, quia per id constituitur aliquid in esse completi vel incompleti per quod constituitur in esse entis distincti ab alio essentialiter: sed superficies constituitur in esse entitatis distinctae per negationem a corpore; ergo constituitur per illam in esse incompletae: sed eadem entitas non potest esse completa, & incompleta simul, vt videre est in materia prima quae non potest esse completa, quia incompleta est; & contra vero homo, quia completus est non potest esse incompletus: ergo si superficies est incompleta ex vi indivisibilitatis, quia ex vi illius est vnio, non poterit esse completa ex vi divisibilitatis.

Sed demus negationem per quam aliquid distinguitur essentialiter ab alio non includi in tali re essentialiter, ac proinde indivisibilitatem non includi essentialiter in superficie, nihilominus argumentum positum efficaciter concludit, quia eo modo constituitur res in esse distinctae ab alia, quo est ipsa res; unde si res est completa in esse distinctae etiam est completa, vt videre est in Deo, qui quatenus distinguitur a creatura est completa entitas, quia vt Deus est completus, ac proinde implicat, quod una entitas constituitur per praedicata essentialia in esse entitatis completae, & per distinctionem propriam constituitur in esse entitatis incompletae: sed superficies, quatenus divisibilis secundum latitudinem est completa; ergo non potest esse incompleta secundum quod distinguitur a corpore; unde si secundum quod distinguitur a corpore est incompleta, erit etiam incompleta secundum quod superficies est divisibilis secundum latitudinem, atqui secundum quod indivisibilis est secundum profunditatem distinguitur a corpore, & vt sic est incompleta per vos: ergo vt superficies est, & divisibilis erit incompleta, ac proinde vnio partium.

Dices lineam per longitudinem dicere negationem divisibilitatis secundum latitudinem, & superficiem secundum latitudinem dicere negationem divisibilitatis secundum profunditatem, ac proinde esse indivisibiles secundum illam rationem non formaliter: sed materialiter.

Sed contra, quia superficies, v. g. adhuc quatenus vnio est divisibilis formaliter: sed in quantum est indivisibilis secundum latitudinem est indivisibilis formaliter secundum profunditatem; maior sic probatur: illud est divisibile, quod pertinet ad quantitatem habet partes: sed ita se habet superficies vt vnio; ergo vt vnio

Quæst. VIII. Vtrum linea, & superfi. &c. 621

vnio est diuisibilis formaliter; maior est certissima, quia ideo superficies in sententia aduersariorum vt lata formaliter est diuisibilis, quia pertinet ad quantitatem habet partes. Probatur minor, illa superficies in quantum vnio vnit profunditatem A, B, & C: sed si non haberet partes non vniiret illas; ergo in quantum vnio habet partes, ac proinde in quantum vnio erit diuisibilis; maior est indubitata, probatur minor; si non haberet partes solum vniiret profunditatem A: ergo non vniiret alias profunditates; probatur antecedens, si non haberet partes illa superficies vt vnio, & esset omnino indiuisibilis profunditas A, attingeret totam illam superficiem, sed superficies quæ est vnio vnus profunditatis à qua attingitur secundum se totam non potest esse vnio alterius profunditatis: ergo superficies, quæ attingitur secundum se totam à profunditate A, non potest esse vnio profunditatis B, & C. Probatur maior, illud quod est indiuisibile, aut totum attingitur, aut nihil illius: sed illa superficies secundum aduersarios est indiuisibilis vt vnio: ergo attingitur secundum se totam à profunditate A: ergo secundum se totam est vnio profunditatis A: ergo non potest esse vnio profunditatis B, & C, sicut v. g. quia punctum A, attingitur secundum se totum à linea A, non potest esse vnio lineæ B, & C.

26 Et si dicatur quod superficies illa non attingatur secundum se totam à profunditate A, quia profunditas A, tantum attingit superficiem quæ est in loco vbi est ipsa profunditas A: sed omnis illa superficies non est in loco profunditatis A: ergo non attingitur secundum se totam à profunditate A: ergo attingitur aliquid illius superficiem à profunditate A, & aliquid illius non attingitur ab illa profunditate A, quod attingitur à profunditate B: ergo in ipsa superficie vt est vnio datur aliquid, & aliquid, sed vbi datur aliquid, & aliquid non datur indiuisibilitas: ergo in illa superficie non datur indiuisibilitas vt est vnio: ergo vt est vnio formaliter est diuisibilis, quia vt est vnio habet partes. Patet consequentia, illud superficiem quod attingitur à profunditate A, non est tota superficies, & illud quod attingitur à profunditate B, etiam non est tota superficies, sed aliquid illius distinctum ab illo quod attingitur à profunditate A: ergo est pars superficiem, quia in toto non datur medium inter totum, & partem: atqui illud quod attingitur est aliquid, & non totum, sed non est aliquid vnicum, quod attingitur, sed potius duo: ergo dantur duæ partes in superficie, quatenus superficies est vnio; ergo superficies quatenus vnio habet partes: ergo est diuisibilis quatenus vnio formaliter.

SVBSECTIO II.

In qua evidenter refutatur solutio eadem tradita à Patre Suarez, probando superficiem, & lineam esse vniones vt diuisibiles.

28 Primo, quia id quod vnit partes totius positivi, & est compositio illius debet esse entitas positiva, & non negatio præcise; sed superficies, & linea vniunt partes corporis, componentque corpus, quod est totum positivum compositum: ergo quatenus vniunt partes illius, & quatenus

componunt ipsum, sunt entia positiva: ac proinde non sunt negatio præcise.

Tunc sic, linea & superficies quatenus vniunt, & componunt corpus nec sunt entia positiva vt sic, nec positiva substantialia: ergo sunt accidentia, sed non in alio genere accidentis nisi quantitatis: ergo sunt entia positiva quantitativa, sed non sunt quantitativa discreta: ergo continua, sed omne continuum est diuisibile: ergo linea, & superficies quatenus vniunt, & componunt corpus sunt diuisibiles formaliter, sed quatenus vniones, vt ait Pater Suarez in sua solutione non sunt species completæ quantitatis; ergo quatenus diuisibiles non sunt species completæ quantitatis, quia quatenus diuisibiles sunt vniones; maior prima, & præcipua est evidens, vt videre est in vnione qua vniuntur partes hominis essentielles, materia nimirum, & anima rationalis, & componitur homo, quæ quatenus est vnio est entitas positiva. Item vnio qua vniuntur accidentia cum substantia est positiva entitas, & minime negatio præcise, & hoc, quia vnio est, & quia componit compositum positivum; ergo omnis vnio quatenus vnio, & quatenus componit compositum positivum debet esse positiva. Quod sic patet manifeste; nam diuisio, aut separatio partium est privatio formaliter, hoc est, carentia vnionis: sed separatio, & diuisio sunt opposita privative respectu vnionis: ergo vnio non potest esse terminus privativus, sed positivus, quia quando vnum oppositum in oppositione privativa est privatio, alterum necessario debet esse positivum, vt videre est in luce, & tenebris, in cæcitate, & visu. Item vita in omnium sententia est terminus positivus, & opponitur privative morti, ita vt mors sit privatio vitæ, sed mors nihil aliud est, quam carentia vnionis, separatio, & diuisio partium hominis: ergo vita, quæ opponitur morti est vnio: ergo vnio est terminus positivus, & non negativus, aut privativus.

Ratio autem à priori est, quia ratio formalis primario constitutiva alicuius positivi debet esse positiva formaliter: sed vnio, & compositio quatenus tales sunt ratio formalis primario constitutiva vniti, & compositi, quatenus compositum, & vnitum est, quæ sunt positiva entia formaliter: ergo vnio, & compositio quatenus tales sunt entia positiva formaliter, & non pure negatio, quia vinculum vt vinculum duorum est positivus conceptus: atqui vnio quatenus vnio est vinculum duorum: ergo quatenus vnio est positivus conceptus: sed linea, & superficies sunt vniones formaliter: ergo sunt tales quatenus sunt positiva entia, & sub ratione positiva, sed non sunt positiva entia formaliter, quatenus indiuisibiles, quia indiuisibilitas formalis est negatio partium, & compositionis: ergo vniunt, & sunt vniones formaliter quatenus diuisibiles, quia quatenus diuisibiles sunt entia positiva formaliter.

Declaratur, quia linea quatenus vnio est quid positivum, vt probatum est, interrogo de illo positivo an sit omnino indiuisibile secundum trinam dimensionem, vel solum secundum duas dimensiones, scilicet latitudinem, & profunditatem, si est omnino indiuisibile: ergo est punctum: ergo linea vnit partes superficiem per punctum, & per aliquid à se distinctum à parte rei: sed hoc est absurdum etiam in sententia aduersariorum: ergo illud positivum per quod vnitur linea partes superficiem, non est omnino indiuisibile: ergo est indiuisibile

sibile secundum duas dimensiones: ergo est linea formaliter: patet consequentia; linea est indivisibilis secundum duas dimensiones tantum, sed illud per quod unitur linea est indivisibile secundum duas dimensiones: ergo est linea formaliter, sed linea formaliter ut linea est divisibilis: ergo formaliter id per quod linea unitur, & quatenus unitur est divisibile formaliter.

32 Vergetur, linea in quantum distinguitur ab illa entitate positiva per quam dicitur unire partes superficies vel distinguitur ultimo à superficie, vel non distinguitur: si distinguitur ultimo: ergo fundat formaliter in se ipsa, & non in aliquo à se distincto negationem latitudinis: ergo linea quatenus linea, & quatenus est divisibilis secundum longitudinem est indivisibilis secundum latitudinem, sed unitur quatenus indivisibilis secundum latitudinem est: ergo etiam unitur quatenus divisibilis est secundum longitudinem, v. g. quia homo quatenus distinguitur à bruto est dissimilis illi, etiam est dissimilis illi quatenus homo, si quidem quatenus homo immediate fundat negationem distinctionis à bruto. Probatur prima consequentia, omnis ultima differentia fundat immediate negationem aliarum specierum, ut brutalitas negationem rationalitatis, & sic immediate est irrationalitas per negationem immediate fundatam in ipsa brutalitate, alias enim non esset ultimum distinctivum: ergo linea est indivisibilis formaliter secundum latitudinem per negationem immediate fundatam in longitudine; ergo inter negationem divisibilitatis secundum latitudinem, & inter longitudinem non mediat aliqua entitas positiva: ergo linea vel est quid incompletum ratione positivi, vel ratione negationis; non ratione negationis, quia in tantum est quid incompletum linea in quantum est unio partium superficies: sed non est unio ratione negationis præcise, sed necessario debet esse unio ratione positivæ formalitatis, siquidem unitur, & compositum est positivum; & positivum ut positivum non potest constitui primario, ac formaliter à privatione, ideo enim tenebrosus, & cæcus non possunt esse positiva concreta formaliter, quia cæcitas, & tenebræ à quibus primario constituuntur sunt privationes, sed compositum, & unitum sunt positiva entia: ergo unio formaliter, & compositio quatenus tales quæ constituunt ipsa sunt positivæ formaliter, & non præcise negatio: ergo linea quatenus unio non est negatio formaliter ac præcise: ergo non est quid incompletum ratione præcise negationis, sed ratione entitatis positivæ in qua immediate fundatur illa negatio: sed illa negatio fundatur immediate in longitudine ut longitudo est formaliter differentia ultimo constitutiva lineæ: ergo linea ratione suæ ultimæ differentia, est quid incompletum; ergo non est species completa quantitatis.

33 Vergetur amplius, quia tale positivum per quod superficies unitur formaliter partes profundas corporis debet esse in illa superficie, cum ratione illius superficies constituatur in esse unionis formaliter, sicut albedo formaliter est in pariete, quia formaliter constituitur albus per illam. Tunc sic; ergo vel totum illud positivum est in tota superficie, & totum in qualibet parte superficies.

34 Vel totum in tota superficie, & pars illius in parte superficies.

35 Vel denique totum in sola parte illius.

Hoc ultimum dici non potest, quia tota superficies est unio partium corporis, ac proinde ratio formalis constituendi illam in ratione unionis non debet esse in aliqua parte, quia ubicunque est constitutum debet esse ratio constituendi, sed non solum una pars superficies, sed potius omnes, ac singulæ partes, & tota superficies uniunt partes corporis, & sunt uniones illarum; ergo in tota superficie, & in singulis partibus illius, & non solum in una parte est positivum illud per quod superficies est unio, quia non est maior ratio de una parte quam de alijs.

Primum autem illud etiam non potest dici, quia alias illud positivum esset spiritualis entitas quod est falsissimum; sequela sic evidenter probatur, quia cui convenit connaturaliter modus essendi rei spiritualis debet necessario esse entitas spiritualis, sed illi positivo convenit modus essendi rei spiritualis: videlicet quod sit totum in toto, & totum in qualibet parte: ideo enim anima rationalis, Angelus, & Deus habent talem modum essendi, quia sunt entia spiritualia: ergo illi positivo per quod unitur superficies partes corporis est spirituale quod est inauditum, cum tale positivum sit constitutum quantitatis, & sit in ipsa superficie, quæ est simpliciter entitas corporea: atqui nihil spirituale potest reperiri in quantitate constituendo formaliter quantitatem; ergo illud positivum, &c. non est spirituale; ac proinde non est totum in toto, & totum in qualibet parte superficies.

Solum ergo dicendum est illud positivum esse totum in tota superficie, & pars illius in parte superficies: ergo illud positivum est totum habens partes compositumque ex illis; sed illæ partes non sunt indivisibiles, aut inseparabiles inter se; si quidem sunt partes continui quantitativi; ergo illud est divisibile: ergo divisibile ut divisibile est unio, & non solum præcise ut indivisibile.

Item illud positivum adæquando se cum superficie constituit illam, quia adæquate illam constituit in esse unionis, ac proinde erit divisibile secundum longitudinem, & latitudinem, & non secundum profunditatem, quia si esset divisibilis secundum profunditatem esset corpus, sed corpus non potest esse unio corporis: ergo non est divisibile secundum profunditatem; ergo erit superficies, quia superficies est longa, & lata sine profunditate: ergo sequitur quod una superficies per alteram superficiem constituatur in esse unionis quod est falsum, quia cum constituta, & constitutus sint superficies, non est maior ratio quare hæc constitutur ab illa vel e contra, unde potius una quæque in quantum continua, & divisibilis erit unio, & non per aliud positivum à se distinctum, quia unaquæque superficies habet totum esse quod habet altera, ratione cuius possit esse unio: ergo falsum est illud additum positivum distinctum ab ipsa superficie, unde ipsa non in quantum indivisibilis solum secundum profunditatem, sed in quantum divisibilis secundum latitudinem est unio: ergo secundum quod divisibilis, & formaliter est superficies, est incompleta.

Declaratur amplius, ipsa superficies quatenus est unio componitur ex unionibus realiter distinctis; ergo quatenus unio est composita. Consequentia est manifesta, quia omne illud quod componitur ex entitatibus realiter distinctis est compositum; probatur antecedens, illa distinguuntur realiter quæ possunt separari realiter, & quæ de facto

Quaest. VIII. Vtrum linea, & superfi. &c. 623

facto saltem localiter sunt separata: sed in illa superficie ut est vnio dantur plures vniones localiter separatae de facto, & quae possunt separari realiter: ergo in illa superficie ut vnio dantur plures vniones realiter distinctae; probatur minor, & sumo superficiem vnias palmi: omnes partes illius superficiei sunt vniones, v. g. pars A, B, & C: sed pars A, localiter separatur a parte B, & C, & possunt separari realiter per divisionem: ergo illae partes, ut vniones, sunt separabiles realiter, & localiter sunt separatae de facto; ergo distinguuntur realiter ut vniones: sed sunt vniones partiales; ergo componunt vniam vnionem totalem. Probatur antecedens primo, quia libet illarum vnionum non est tota vnio: sed aliquid illius vnionis, quia non est tota superficies: sed aliquid illius superficiei: ergo sunt partiales vniones.

Secundo illae partes superficiei, ut sunt vniones non sunt discretae, & separatae: ergo sunt vnite; probatur antecedens, si essent discretae dicerent negationem linearum; sed non possunt dicere negationem linearum: ergo non sunt discretae, maior est certissima, quia superficies quae sunt discretae dicunt negationem vnionum; probatur minor, superficies ut diuisibilis esset actualiter diuisa in omnes suas partes si illae vniones dicerent negationem linearum: sed hoc est falsissimum: ergo, &c. Probatur maior superficies ut diuisibilis est eadem entitas realiter ac est vnio; ergo si superficies ut est vnio diceret negationem linearum realiter: ergo ut est diuisibilis diceret realiter eandem negationem: probatur consequentia, implicat quod eidem rei realiter, & a parte rei, simul conueniant negatio, & forma negata per talem negationem: sed superficies ut vnio est idem realiter, ac sumpta ut est diuisibilis: ergo implicat quod superficies ut vnioni conueniant negatio linearum, & ut diuisibili conueniant linea; quae sunt forma negata: sed superficies ut diuisibili conueniunt linea; ergo etiam superficies ut vnioni; ergo vniones illae sunt continuae: ergo sunt partes componentes vniam vnionem totalem, ac diuisibilem in tales partes; ergo superficies ut vnio est diuisibilis.

Tertio vrgetur, quando in corpore separatur vna pars a toto destruitur vnio: sed non destruitur tota vnio corporis, v. g. dum scinditur caput a corpore; alias per destructionem vnionis capitis divideretur totum corpus in omnes suas partes cum destrueretur tota vnio omnium partium: sed non dividitur corpus in omnes suas partes; ergo non destruitur tota vnio dum destruitur vnio capitis; ergo destructa fuit pars vnionis, quando separata fuit pars corporis a toto corpore; ergo illa vnio habet partes ut vnio est: ergo ut vnio est diuisibilis.

Confirmatur, quia vnio corporeae, in quantum vnio est, educitur de potentia subiecti in quo est, & dependet a partibus quas vnio: sed partes capitis in toto corpore distinguuntur a partibus manus, & pedis in ipso corpore: ergo distincta vnio est in capite ab ea, quae est in manibus, & ab ea, quae est in pedibus: sed tales vniones non sunt diuise inter se: sed potius sunt continuae, eo modo, quo omnes partes corporis continuantur per vniones: ergo sicut ex omnibus partibus distinctis corporis componitur vnum corpus continuum, ita ex omnibus vnionibus talium par-

tiu m componetur vna vnio totalis continua: sed omne continuum est diuisibile; ergo talis vnio quatenus vnio est diuisibilis; ergo superficies quatenus vnio est diuisibilis.

Quod autem vnio capitis, vnio pedis, & vnio manus distinguantur realiter inter se est manifestum ex terminis; quia eadem entitas corporea non debet esse in diversis locis, & produci dependenter a diversis entitatibus loco separatis: sed vnio capitis est in loco distincto ab vnione pedis, & manus, & producitur vnio capitis dependenter a capite, & vnio pedis a pede, quae sunt partes existentes in diversis locis; ergo vnio capitis, manus, & pedis non est vna, & eadem entitas vnionis: sed sunt distinctae partialiter.

Quarto, vnio totius continui non potest vnire indivisibili modo tota vnio omnes partes continui, & tota quamlibet partem illius: sed necesse est quod tota vnio vniet omnes partes, & pars illius partem continui: sed illud quod est totum habens partes est diuisibile; ergo vnio totius continui ut vnio illius est, necessario erit diuisibilis; maior est evidens, quia si vniret indivisibili modo esset vnio spiritualis, eo modo quo asserunt aliqui esse animae rationalis ad corpus vnionem, & eo modo quo est ipsa anima rationalis, videlicet tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis, qui modus essendi est rerum spiritualium propriissimus: sed vnio partium corporis profundarum, quae est quantitas non est spiritualis; sed maxime corporea; ergo non vniet indivisibili modo.

Vltimo, quia vnio substantialis quae datur inter partes profundas substantiae est continua, & diuisibilis, licet ex alia parte etiam habeat indivisibilitatem; ergo similiter vnio quae datur inter partes profundas quantitatis, licet in vna ratione, & ex vno capite sit indivisibilis, quia tamen ex alio capite vniet partes continuas, (& continue, sine aliqua divisione, & discretione) quarum vna est extra aliam debet esse diuisibilis, & constans partibus continuis, & continuatione vnitis, quia cum totum illud quod constituitur in esse vnus corporis sit vnam compositum, debet vna vnione, & compositione constitui in esse talis, v. g. homo, qui essentialiter est vnum compositum vna vnione, & compositione essentiali constituitur, quia eo modo est ratio formalis quo est effectus formalis illius: sed compositum est vnum continuum, & continue vnitum, quod est effectus formalis compositionis vnionis, & continuationis: ergo talis vnio, compositio, & continuatio est vna, & continua, quia quidquid dat forma effectui formali continet formaliter in se, ergo si vnio, & compositio tribuit composito esse vnus compositi, & continui ipsa in se debet esse formaliter vna compositio continua; alias forma quae dat continuationem, & vnitatem in se haberet negationem illius quod tribuit quod est absurdum ut ex terminis patet.

Tunc sic: illa vnio, quae totum corpus constituit in esse vnus, & vniet omnes partes corporis non potest esse ita simplex, ut nullas habeat partes distinctas realiter; quod sic patet, quia si esset simplex, vel multoties simul produceretur, vel in pluribus simul distinctis locis esset: sed haec omnia sunt absurda; ergo non est simplex; sed composita, & diuisibilis vnio; ergo si superficies est vnio, erit vnio secundum quod diuisibilis.

Quæst. VIII. Vtrum linea, & superfi. &c. 625

aliud existens in sacchoro præter albedinẽ, dulce-
dinem nimirum esse rationem formalem adæqua-
te constitutivam dulcis, quia non solum saccha-
rum, sed quodcumque aliud subiectum, ubi repe-
ritur constituit dulce.

51 Sed indivisibilitas secundum profunditatem
est adæquata ratio formalis constitutiva super-
ficii in esse vnionis partium profundarum cor-
poris, & hæc indivisibilitas secundum profundi-
tatem reperitur connaturaliter non minus pro-
prie in puncto, & in linea, ac in superficie; ergo si
est adæquata ratio constitutiva vnionis partium
corporis, punctum, & linea non minus proprie, ac
superficies erunt vniones adæquate, & perfecte
partium profundarum corporis, sed non sunt ta-
les: ergo neque in superficie erit ratio adæquata
constitutiva vnionis, &c. talis indivisibilitas se-
cundum profunditatem; ergo aliud est in ipsa su-
perficie, ratione cuius, simul cum tali indivisi-
bilitate, vt iam explicuimus nuper, constituatur
adæquate superficies in esse vnionis perfectæ par-
tium corporis, & defectu cuius linea, & punctum
non vniunt adæquate, & perfecte partes corpo-
ris: sed hoc non est aliud nisi ipsa latitudo conti-
nua superficiẽ; ergo ratione illius, & in quantum
talis superficies est vnio partium corporis: atqui
latitudo continua superficiẽ est diuisibilis forma-
liter; ergo superficies in quantum diuisi-
bilis formaliter est vnio partium corporis; ergo
est incompleta in quantum diuisibilis forma-
liter.

52 Dices negationem illam diuisibilitatis secun-
dum profunditatem non esse eandem in linea, &
puncto, ac in superficie, ac proinde posse superfi-
ciem esse vnionem ratione illius, & non lineam,
& punctum.

53 Sed contra manifeste, quia quando aduersarij
aiunt negationem profunditatis, quæ est in super-
ficie A, v. g. non esse eandem ac reperitur in li-
nea, & puncto B, aut loquuntur de identitate in-
dividuali, & secundum numerum, aut de identi-
tate secundum speciem; si loquuntur de identi-
tate individuali impertinens est responsio, quia
etiam negatio profunditatis quæ datur in super-
ficie B, est distincta numero, & individualiter non
solum à negatione profunditatis quæ est in linea,
& in puncto, sed etiam ab indivisibilitate seu ne-
gatione profunditatis quæ est in superficie A, &
nihilominus superficies B, est vnio quantitativa
tam perfecte, & adæquate partium corporis, sicut
superficies A, & nullo modo possunt esse vniones
perfectæ, & adæquate partium corporis linea, &
punctum; ergo sola distinctio numerica, quæ da-
tur inter indivisibilitatem lineæ, & inter indivi-
sibilitatem superficiẽ A, non impedit quominus
linea, & punctum sint vniones partium corporis
sicut superficies A.

54 Alias etiam impediret in superficie B, quia
ubi est eadem ratio formalis est idem effectus
vel quasi effectus formalis tam positivus, quam
negativus; v. g. quia posita albedine in Petro re-
sultat album vt effectus formalis positivus, &
datur expulsio nigredinis tanquam effectus nega-
tivus, vbicunque datur talis forma albedinis
datur tam effectus positivus quam negativus; er-
go si distinctio numerica à superficie A, impedit
quominus punctum, & linea sint vniones corpo-
ris, etiam impediret talis negatio in superficie B,
seu distinctio à superficie A, vt possit esse vnio
corporis, sed non impedit in superficie B, nec se-
R. P. Ildeph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

quitur in illa negatio vnionis; ergo nec in puncto
& linea sequetur negatio vnionis, quia sicut af-
firmatio est causa affirmationis, ita negatio est
causa negationis; ergo impertinens est responsio
de distinctione numerica, quia solum distinctio
numerica non potest tam varios effectus causare,
scilicet vt vna entitas sit vnio, alia vero non, nam
posse esse, & non posse esse vnionem sunt quasi
essentialiter diversi effectus, qui non solum di-
stinctas numero formas, sed etiam differentes es-
sentialiter exigunt.

Si autem aduersarij loquantur de identitate
secundum speciem, falsissima est solutio aduersa-
riorum; nam negatio vel privatio totum esse suum
sumunt essentialiter, & specificative, non à subie-
cto in quo sunt, sed à forma cuius negatio, & pri-
vatio sunt, v. g. tenebræ quæ sunt in homine, in
arbore, in pariete, in aëre, & in quo sunt eiusdem
speciei, & nihilominus homo, paries, arbor, & aër
non solum specie, sed plusquam genere differunt,
& ratio est, quia lux, quæ est forma, cuius privatio
sunt tenebræ est eiusdem speciei in homine,
arbore, aëre, & pariete: sed profunditas quam ne-
gant linea, & punctum per suam indivisibilitatem
est eiusdem speciei cum profunditate, quam ne-
gat superficies per indivisibilitatem propriam;
ergo indivisibilitas lineæ, & puncti sunt eiusdem
speciei cum indivisibilitate, quæ est in superfi-
cie, ac proinde habent identitatem specificam, &
nihilominus talis indivisibilitas lineæ, & puncti
non constituit lineam, & punctum in esse vnionis
partium profundarum corporis; ergo indivisi-
bilitas profunditatis non est ratio formalis adæ-
quata præcise sumpta constitutiva superficiẽ in
esse vnionis; ergo alia ratio est in superficie pro-
pter quam simul cum indivisibilitate superficies
constituitur formaliter in esse vnionis: sed non
est alia ratio in superficie, præter indivisibilita-
tem, nisi diuisibilitas lata; ergo diuisibilitas lata
constituit superficiẽ in esse vnionis simul cum
indivisibilitate; ergo superficies non solum est in-
completa in quantum indivisibili, quoad profun-
ditatem: sed etiam in quantum est diuisibilis
quoad latitudinem.

SECTIO IV.

Vbi secunda ratio principalis pro nostra con-
clusionẽ ponitur.

Secundo sic probatur principaliter, quia illud
56 quod in aliquo genere rerum absolute, ac
simpliciter talium est essentialiter modus com-
plens res in illo genere, non est species completa
illius generis: sed linea, & superficies in genere
quantitatis, quæ est simpliciter, & absolute res,
sunt modi essentialiter constituentes, & com-
plentes quantitatem per vos; ergo non sunt spe-
cies completae quantitatis; maior est evidens,
quia modus est entis ens, & diminutum esse,
& inadæquate, ac partialiter constituens rem, cuius
est modus: sed quod est entis ens, & diminutu-
m esse inadæquateque ac partialiter com-
plens rem simpliciter talem in illo genere est
ens incompletum; ergo modus est ens incomple-
tum, &c.

Confirmatur, quia id quod habet totum suum
57 esse in ordine ad complendum aliud completum
est incompletum in suo esse: sed omnis modus, qui
K k k k est

est talis in aliquo genere absolute, ac simpliciter rerum ordinatur ad complendam rem absolute, & simpliciter talem illius genere; ergo est incompletum ens.

58 Totum hoc à posteriori evidenter demonstratur: ideo vnio substantialis in genere substantiæ, & substantia in illo genere non sunt species completæ substantiæ, quia sunt modi substantiales complentes substantiam in genere substantiæ; item inhærentiæ quantitatis, & qualitatis sunt incompletæ rationes, quia sunt modi in genere quantitatis, & qualitatis, quæ sunt res absolute, ac simpliciter, ac proinde nullo modo possunt esse species completæ quantitatis, & qualitatis; ergo omnis modus complens essentialiter aliquod genus absolute, ac simpliciter rerum non potest esse species completa in illo genere.

59 Minor prima, & præcipua sic demonstratur, quia per vos linea, & superficies sunt vniones ex natura sua, linea partium superficiei, & superficies partium corporis: sed omnis vnio rerum est modus illarum, quarum vnio est, sine vlla controversia apud Doctores, vt videre est in vnione essentiali qua constituitur homo in esse compositi, & qua vniantur partes essentielles illius, materia nimirum, & forma, & idem est de vnione, seu inhærentia qua vnitur accidens subiecto, &c. ergo linea, & superficies per vos sunt modus in genere quantitatis, quæ est res simpliciter, & absolute.

60 Dices lineam, & superficiem non esse vniones, quatenus diuisibiles sunt: sed potius quatenus sunt indiuisibiles, ac proinde sub ratione diuisibilitatis sunt res, & sub ratione indiuisibilitatis sunt modi.

61 Sed contra primo, quia iam late demonstratum manet *seção superiori* lineam, & superficiem non solum vt indiuisibiles: sed etiam vt diuisibiles esse vniones; ergo sub omni ratione tam indiuisibilitatis quam diuisibilitatis sunt modi; ergo nullo modo possunt esse res, ac proinde nullo modo possunt esse species completæ quantitatis.

62 Secundo contra, quia impossibile est, vt aliqua entitas sit res simpliciter, & absolute quatenus positua entitas in aliquo genere, ac proinde sit absolute, ac simpliciter species completa in aliquo genere, & solum quatenus distinguitur ab alia specie completa illius generis, & quatenus dicit negationem illius sit modus in illo genere; v. g. impossibile est quod homo, quia est animal rationale sit species completa in genere substantiæ, & solum ratione distinctionis quam habet ab equo, & ratione negationis equi sit modus in genere substantiæ: sed per vos linea, & superficies quatenus sunt entia positua, videlicet longa, & lata sunt species completæ quantitatis; ergo impossibile est, quod ratione indiuisibilitatis, per quam superficies distinguitur à corpore, & linea distinguitur à superficie sunt modi quantitatis.

63 Quod autem indiuisibilitas profunditatis, quæ dicit superficies, sit distinctio superficiei à corpore patet evidenter, quia per vos talis indiuisibilitas est negatio profunditatis, aut partium profundarum separabilium in superficie: sed profunditas est corpus: ergo negatio profunditatis in superficie est negatio corporis in ipsa: sed distinctio in sententia Patris Suarez est negatio

vnus respectu alterius, vt v. g. distinctio hominis ab equo nihil aliud est, quam negatio equi existens in homine: sed indiuisibilitas superficiei est negatio corporis existens in superficie; ergo est distinctio superficiei à corpore: sed superficies absolute quatenus superficies est, est res, ac species completa in genere quantitatis: ergo quatenus indiuisibilis non potest esse modus in illo genere, quia nulla entitas potest esse simul res, & modus in aliquo genere, quia modus est ita actualis affectio rei, vt non possit etiam per diuinam potentiam existere extra rem, cui coniungitur, res autem est illa, quæ potest existere extra rem cui coniungitur: sed non posse existere extra rem cui coniungitur, & posse existere extra illam sunt prædicata ita opposita simpliciter contradictorie, vt non possint eidem entitati realiter conuenire, ac proinde non ostenditur ab aduersarijs aliquod exemplum in aliquo genere absolute rerum extra calum de quo disputamus, quod demonstrat, aut indicet aliquam rem quæ simul sit species completa ac simpliciter res in aliquo genere, & modus incompletus in eodem genere; ergo si hoc est impossibile, etiam erit impossibile quod eadem entitas superficiei sit in genere quantitatis species completa, & res simpliciter, & in eodem genere modus, & incompleta entitas simpliciter.

Vrgetur, quia aliud munus exercet superficies in sententia aduersariorum (ita vt præter hoc, & præter munus vnionis nullum aliud munus exerceat) videlicet munus termini, superficies enim aut vnit partes corporis, aut terminat vltimo illas; sed vltimus terminus in aliquo genere rerum non potest esse species completa in illo genere: ergo superficies in genere quantitatis non est species completa: maior est ipsa sententia aduersariorum, & minori, minor patet evidenter; ideo supposita talitas in genere substantiæ non est species completa substantiæ, quia est vltimus terminus in genere substantiæ completa; ergo vltimus terminus in aliquo genere non est species completa in illo genere; & ideo etiam in vestra sententia vltimum punctum seu indiuisibile terminans lineam non est species completa in genere quantitatis, quia est vltimus terminus in illo genere, & idem est de mutato esse respectu motus, & ratio à priori est, quia vltimus terminus ordinatur ad complendam rem, non vt tota essentia rei completæ: sed vt pars, & conceptus inadæquatus illius: sed conceptus inadæquatus, & pars ordinata ad complendum non est species completa; ergo vltimus terminus in aliquo genere non est species completa; sed superficies est vltimus terminus quantitatis completæ corporis nimirum: ergo superficies non est species completa quantitatis.

SECTIO V.

Vbi tertia ratio pro nostra conclusione proponitur.

Tertio sic argumentor principaliter, species completa in vno genere non potest deperdere intrinsece essentialiter ab alia specie completa illius generis; sed corpus est species completa

pleta quantitatis; ergo non dependet essentialiter intrinsece ab alia specie completa quantitatis. Tunc sic: corpus dependet essentialiter intrinsece à superficie, & linea; ergo linea, & superficies non sunt species completae quantitatis; hoc antecedens est certum, quia quidquid componitur essentialiter ab alio, dependet essentialiter ab eo à quo componitur: sed corpus componitur essentialiter à superficie, &c. ergo corpus dependet essentialiter ab illa; maior est evidens; ideo enim homo dependet essentialiter ab unione substantiali, quæ datur inter corpus & animam rationalem, quia constituitur essentialiter per talem unionem in esse compositi, & media illa formaliter componitur à corpore, & animo rationali; ergo id quod componitur essentialiter ab aliquo, dependet essentialiter intrinsece ab illo; minor illa satis patet ex supradictis, nam corpus quatenus est species quantitatis est compositum continuum essentialiter per vos, in quo distinguitur essentialiter ab specie discreta quantitatis; itaque corpus tam essentialiter est continuum sicut quantum: sed continuum est compositum essentialiter; ergo corpus est compositum essentialiter, sed compositum continuum compositione, & continuatione constituitur, hoc est, unione inter partes quantitativas, compositio enim, & continuatio quantitativa est quantitatum partialium unio; ergo superficies &c. componitur essentialiter corpus, quia superficies est unio inter partes profundas corporis, ac proinde est continuatio illarum à qua formaliter continuantur partes corporis, & media qua formaliter componunt corpus.

66 Maior prima, & præcipua est manifesta: tum exemplis; tum ratione à priori, exempla sunt innumera, sive in gradu substantiali, sive accidentali, quis enim potest dicere hominem dependere essentialiter intrinsece à leone, equo, vermi, & angue. Item albedo non potest dependere essentialiter intrinsece à nigredine, neque habitus dependet essentialiter intrinsece à potentia in genere qualitaris, licet materialiter, & efficienter dependeat ab illa tanquam à subiecto, & tanquam à causa efficienti, & in genere relationis paternitas non dependet intrinsece, essentialiter à filiatione, & non propter aliam rationem, nisi quia omnes hæ sunt species completae, ac proinde independentes essentialiter ad invicem.

Ratio autem à priori huius est, quia duplex est dependentia, alia essentialis extrinseca, alia essentialis intrinseca; essentialis extrinseca dicitur omnis illa sine qua nullo modo potest esse aut concipi res; vt v. g. creatura nullo modo potest esse, aut concipi sine dependentia à Deo; quæ dependentia dicitur extrinseca, quia terminus, seu extremum à quo dependet res non ingreditur intrinsecam constitutionem dependentis; & in hoc ordine etiam numeratur omnis dependentia specificati respectu specificantis, vt videre est in omni relatione tam transcendentali, quam prædicamentali, & etiam omnis dependentia à causa materiali à qua non componitur res, vt v. g. dependentia quæ habet accidentis à substantia in qua existit; forma materialis à materia prima; dependentia intrinseca essentialis est omnis illa, quam totum habet à suis partibus à quibus intrinsece, & essentialiter componitur; vt est illa, quam habet homo v. g. à materia, vel à forma, vel ab unione. Itaque de conceptu essentiali huius dependentiæ est, vt extremum à quo dependet res componat illam, ac pro-

R. P. Ildeph. de Peñafiel Theol. Schol. Tom. I.

inde vt sit conceptus inadæquatus talis rei, & pars illius: sed pars, & conceptus inadæquatus essentialiter in aliquo genere implicat vt in illo genere sit completa ratio, vt videre est in animo rationali, & unione substantiali, qui nullo modo possunt esse rationes completae sive specificæ, sive genericæ in genere substantiæ, quia sunt inadæquati, & partiales conceptus rei seu speciei completae in genere substantiæ: totum enim, & pars adæquatum & inadæquatum, completum & incompletum dicunt oppositionem inter se, ratione cuius non possunt compari in eodem subiecto, nam id quod est incompletum essentialiter, ac proinde quod est pars dicit ordinem essentialem ad complendum, vel componendum aliquid completum; id autem quod est totum, & completum nullum ordinem essentialem dicit ad complendum, & componendum in illo genere, vt homo, & Angelus v. g. dicere autem ordinem, & non dicere ordinem ad componendum dicunt oppositionem contradictoriam, ratione cuius non inveniuntur simul in eadem entitate, & ideo homo non potest componere aliud completum essentialiter, quia essentialiter est totum completum, nam si attente à te interrogetur, quare homo non possit esse aut materia, aut forma, aut unio alterius, hominis, aut alterius completi?

Respondebis indubitanter, quia homo est totum, & completum ens, & implicat quod eadem entitas sit completa, & incompleta, pars & totum simul: ergo absolute implicat, quod vna species completa componat, & constituat essentialiter intrinsece aliam completam: ergo similiter implicabit, quod vna species completa dependeat essentialiter intrinsece ab alia completa, quia dependere essentialiter intrinsece ab illa est componi, & constitui essentialiter intrinsece ab eadem, quod non potest fieri; alias illa esset completa, & incompleta simul.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

Ad primum concedo maiorem, & distingo 67 minorem: habent extensionem, &c. ordinatam ad componendum corpus concedo; non ordinatam ad componendum illud nego, vt patet ex supradictis in probatione nostræ conclusionis; vnde licet habeant talem extensionem non sunt species completae quantitatis; sicut in genere substantiæ anima rationalis licet sit vere substantia, non est species completa, quia ordinatur essentialiter ad componendam speciem completam, hominem nempe.

Ad secundum distingo maiorem, quæ sub ali. 68 quo genere distinguuntur, ita vt non ordinentur ad componendum sunt species completae distinctæ concedo; si autem ordinentur ad componendam in illo genere nego, vt patet ex dictis.

Ad tertium nega sequelam, ad probationem ref. 69 pondeo esse possibile corpora quanta distincta essentialiter à quantitate profunda, quæ nunc datur; vnde genus huius prædicamenti erit corpus vt sic, quatenus abstrahit à multis corporibus specie distinctis, de quorum possibilitate non potest dubitari; quia si substantia creata, qualitas, relatio, & cetera accidentia possunt multiplicari specie, quia sunt entia imperfecta in sua essentia,

Kkkk 2 &c

& vnumquodque illorum ratione propria limitationis, & finitudinis non participat perfecte eminentiam illius generis contentam in Deo; ergo quantitas, quæ etiā est finita, sicut limitata, & imperfecta, imo imperfectior substantia, & qualitate poterit à fortiori multiplicari specie, sicut de facto asseritur à multis factum esse, qui asserunt corpora cœlestia, & sublunaria, quatenus corpora quantia sunt distingui essentialiter, in quorum sententia corpus vt sic est genus ad corpora cœlestia, & sublunaria, quod secundum propria principia nullam habet difficultatem.



QVÆSTIO VLTIMA.

Virum Numerus sit species quantitatis proprie?

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

PRIMA sententia asserit quantitatem discretam, v.g. numerum esse vere, & proprie speciem quantitatis; est communis sententia Thomistarum.

70 Probatum primo auctoritate, Aristotelis qui in principio huius capitis divisit quantitatem in continuam, & discretam, quam divisionem etiam fecit quinto metaphysica, & vbi eumque de quantitate loquitur: ergo Aristoteles sentit quantitatem discretam esse veram, & propriam speciem quantitatis; unde sine dubio videtur sentire talem divisionem quantitatis vt sic esse generis in species, siquidem ex illa fecit coordinationem prædicamentalem in prædicamento quantitatis, & ideo hic prius præmittit descriptionem quantitatis in communem, quam sentit æque convenire continuæ, ac discretæ; imo proprietates, quas assignat quantitati æque convenire senserit discretæ, ac continuæ, vt esse æqualem, vel inæqualem, esse finitam vel infinitam, & esse mensuram, imo hæc ultima prius convenire censetur quantitati discretæ quam continuæ ex sententia Aristotelis 10. *Metaphysica in principio*: ergo.

72 Secundo probatur ratione P. Rubij qn. 6. huius prædicamenti. sublato numero seu quantitate discretæ ab isto prædicamento totum omnino destruitur prædicamentum: sed hoc est absurdum contra omnes Doctores; ergo numerus ponitur in hoc prædicamento tanquam verum ens per se: probatur maior ablata quantitate discretæ non manet supremum genus huius prædicamenti; ergo destruitur totum; probatur antecedens sublato numero ab isto prædicamento est etiam necessario auferenda oratio propter eandem rationem, quia non minus esset ens per accidens oratio quā numerus, & per consequens tota quantitas discretæ tolleretur ab isto prædicamento, & remaneret sola quantitas continua: sed quantitas continua non potest esse supremum genus: ergo sublato numero non potest esse genus supremum. Probatum minor, genus supremum dicitur tale per ordinem ad intermedium, quia necessario debet dividi per oppositas differentias subalternas, sed quantitas continua non habet species subalternas per

quas dividatur: ergo non est genus supremum; ergo non datur prædicamentum quantitatis; patet consequentia, prædicamentum est coordinatio prædicamentorum essentialium à genere supremo per intermedia genera vsque ad individuum, sed si non datur genus supremum non datur talis coordinatio: ergo, &c.

Tertio probatur ratione, quia vna scientia ver. 73 satur circa obiectum per se vnum à quo accipit suam unitatem: sed Arithmetica, quæ est vna scientia per se, agit de numero. vt de obiecto proprio; ergo numerus est ens per se quantitativum, & sic erit propria species quantitatis.

Quarto, vbi datur vnum per modum actus, & 74 alterum per modum potentie, ibi est vnum per se: sed in numero vltima unitas se habet per modum actus, & reliquæ gerunt vicem potentie; ergo numerus est vnum ens per se.

Quinto, numerus, & corpus, quantitas continua, & discreta vnivoce, & genericè conveniunt in essentiali ratione quantitatis: ergo quantitas vt sic est supremum genus huius prædicamenti, quatenus abstrahit à continua, & discreta; ergo numerus ponitur in hoc prædicamento per se probatur antecedens, quæ sunt distincta intrinsece, essentialiter, & conveniunt intrinsece in ratione communi sine dependentia; & transcendencia conveniunt vnivoce, & genericè: sed ita se habent quantitas continua, & discreta; ergo.

Confirmatur, hæc est vera, & formalis prædicatio, numerus est quantitas, sicut hæc corpus est quantitas; ergo quantitas est genus ad continuum, & discretam.

Sexto, numerus habet passiones, & proprietates determinatas; ergo habet essentiam per se; antecedens est certum, quia numerus est par, & impar, & est divisibilis in partes æquales vel inæquales, quæ sunt proprietates numeri: consequentia probatur, determinatæ proprietates petunt vnam, & determinatam essentiam; ergo numerus habet vnam, & determinatam essentiam per se.

Vltimo, si essentialis ratio quantitatis consideretur, quæ est habere extensionem, quæ vna pars est extra aliam propriissime convenit quantitati discretæ, cum unitates quantitativæ ita comparentur, vt vna ex necessitate extra aliam existat.

SECTIO II.

Nostri sententia ponitur, & probatur.

Prima conclusio: numerus seu quantitas discretæ non est ens per se realiter; sic melioris notæ graviorefque Doctores, videatur P. Suarez, &c. probatur.

Primo ex Aristotele 3. *Physicorum*, cap. 7. vbi dicitur, & cet. numerum esse plures aliquotvè unitates, & similiter 3. *metaphysica*, cap. 9. text. 20. dicit numerum esse multa vna, & lib. 8. cap. 3. text. 10. ait, aut numerus vnum non est, sed velut cumulus, aut si sit dicendum est quidnam illud sit, quod efficit vnum ex multis; & 10. *metaphysica*, cap. 3. sic ait numerum esse multitudinem unitatum; & 2. de anima, cap. 6. expresse docet numerum esse accensum quantitatis, sed cumulus, & multitudo, & accensus non est ens per se à parte rei, sed ens per accidens; ergo ex sententia Aristotelis quantitas discretæ seu numerus non est ens per se, sed per accidens à parte rei; & ideo locis supra nuper citatis numquam.